Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36524
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

24 101

propter quod fiunt illa que media sunt. Ipsum vero prin
cipaliter bonum non ob aliam causam, sed propter suam tantum
agit bonitatem. XVI.
Quod quidem ceteris que media esse prediximus
his discernitur modis: si per se bonum sit et non per aliud
aliquid, si propter se necessarium sit et non propter aliud,
si immutabiliter semperque sit bonum ac perpetuo suam
retinens qualitatem numquam possit in partem tran
sire contrariam; si ademptio vel cessatio eius non possit
summam inferre perniciem; si id quod illi contrarium est si
militer principale sit malum nec in partem bonam possit
aliquando transire. Que definitiones quibus prin
cipalium bonorum natura discernitur adscribi ieiuniis
omnino non possunt. Neque enim ex semetipsis bona
aut propter se necessaria sunt que propter adquiren
da cordis et corporis puritate salubriter exercentur,
ut aculeis carnis obtunsis mens pacifica suo re
concilietur auctori, nec inmutabiliter semperque sunt
bona, quia plerumque eorum intermissione non ledimur,
immo etiam in perniciem interdum anime inpor
tunius celebrata vertuntur. Sed nec principale ma
lum est id quod illi videtur adversum, id est ciborum naturaliter
iocunda perceptio, que nisi intemperantia atque lux
uria vel alia quedam vitia subsequantur mala non potest
definiri, quia quod intrat non in os coinquinat homi
nem, sed que procedunt de ore, hec coinquinant hominem.
Principali itaque derogat bono nec perfecte aut sine
peccato illud exsequitur, quisquis hoc non propter
id ipsum sed propter aliud aliquid facit. Omnia enim huius
generis facienda sunt propter ipsum; ipsum vero propter se solum est expectandum.
Talem igitur definitionem super ieiuniorum qualitate iu XVII.
giter retinentes ita illud totis animi viribus appe